



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Quaestio IV. Utrum ad valorem Indulgentiarum requiratur justa causa?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

QUAESTIO IV.

*Utrum ad valorem Indulgentiarum requiratur
justa causa?*

Indulgentia ut valeant, praeter potestatem in
concedente requiritur justa & rationabilis cau-
sa. Hæc enim potestas à Christo Ecclesiae tradita
est in ædificationem, & non in destructionem: ce-
deret autem in damnum Ecclesiae, si irrationabili-
ter superfluae Indulgentiae concederentur. *cap. cum*
ex eo, de pœnit. & remiss. Et ideo I. Pet. 4. de
Pastoribus Ecclesiasticis dicitur: *Sicut boni dispen-*
satores multiformis gratia Dei. Dispensator au-
tem nequit validè absque justa & rationabili causa de
rebus Domini dispensare. Fere sicut accidit in di-
spensatione juramenti & voti, quæ absque justa cau-
sa nec valide, nec licitè fieri potest. Unde CLE-
MENS VI. in Extrav. *Unigenitus*, ait Summum
Pontificem habere potestatem concedendi Indulgen-
tias *ex propriis & rationabilibus causis*; & MAR-
TINUS V. in sua Constitutione pariter addit: *ex cau-*
sa pia & justa.

Ut verò causa censeri justa possit, requiritur,
ut sit proportionata Indulgentiae concessæ, major
videlicet causa pro majore Indulgentia, & minor
pro minore. Valida proinde non erit, si pro cau-
sa levissima detur Indulgentia maxima, v. g. ple-
naria pro Oratione Dominica. Nam ad valorem
Indulgentiae requiritur justa & rationabilis causa:
sed causa non proportionata Indulgentiae non est
justa & rationabilis: quis enim justam causam di-
cet, quæ nullam cum effectu proportionem habet?

678 DE INDULGENTIIS.

quo pacto fidelis & prudens Dispensator sit, qui pro causa levissima ingentes divitias expendit? dissipator is potius æssimari debet; nam magis dissipat ille, qui pro exigua causa maximam, quàm qui levem absque ulla causa Indulgentiam elargitur. Denique Indulgentiæ largitio haud dissimilis est dispensationi votorum: in votis autem certum est dispensari non posse, nisi pro maxima causa, quæ magis placeat Deo, quàm ipsa voti impletio. Idcirco Concilium LATERANENSE IV, *cap. 26.* meritò reprehendit Indulgentias à quibusdam Episcopis concessas tamquam indiscretas & superfluas, *h. e. sine justa & proportionata causâ concessas.*

Respondetur ad objecta.

Obj. I. Valida est collatio Beneficii Ecclesiastici facta indigno, etiamsi conferens non sit illius Dominus, sed dispensator. Cur non etiam valeat Indulgentia absque justa causa? *Resp.* Si verum est antecedens, inde fit, quia alioquin gravia sequerentur incommoda, velut si quis habeatur pro Parrocho, qui non est talis, præsertim quia in conferente semper remanet obligatio irritandi factum. Contra vergeret in grave damnum Ecclesiæ, si Indulgentiæ irrationabiliter concederentur, quia thesaurus spiritualis magis prodigeretur, quàm fideliter & prudenter dispensaretur. Sed & pœna peccatis debita Jure divino expianda est: nequit autem Pontifex sine justa causa dispensare in iis, quæ aliquo modo ad jus divinum pertinent, quia minister est, non dominus.

Inst.

Inst. Indulgentiæ non nituntur justâ causâ operis injuncti, sed infinitis Christi satisfactionibus, quæ semper est causa sufficiens, immo transcendens omnem concessionem. *Resp.* Hic ipse thesaurus satisfactionum Christi & Sanctorum ut validè dispensetur per Ministros Dei, opus est justa & rationabili causâ. Hinc etiam in primitiva Ecclesia Episcopi ad petitionem Martyrum Indulgentias concedebant vel iis, qui jam aliquo tempore pœnitentiam publicam, & cum fervore quidem, egerant, quamvis eam non implevissent, vel iis, qui pœnitentiæ & doloris signa plane eximia edebant, quique ante lapsum vitam Christiano homine dignam traduxerant, spemque non vanam de se concitabant, fore, ut deinceps spontanea vitæ castigatione, & integritate morum errorem suum emendarent. Faciliores tunc solum Episcopi erant, ubi persecutio sæviebat. Quin & Ecclesia tunc judicabat, causam satis magnam esse Martyrum petitionem, ut hac ratione Fideles ad Martyrium accenderentur, si intelligerent tanto in pretio esse Martyrum preces. De justâ tamen causâ ubi loquimur, non ea intelligi debet, ut opus injunctum sit ita satisfactorium, ut pœnæ debitum planè compenset; tunc enim Indulgentia non foret remissio, sed commutatio, vel redemptio.

Obj. II. Ex usu & praxi Ecclesiæ quandoque Indulgentiæ maximæ pro causa levissima conceduntur, qualis est illa, quæ datur omnibus adstantibus ante fores Basilicæ Romanæ S. Petri, dum Summus Pontifex populo solemniter benedicit. Novimus etiam, Fidelibus in mortis articulo plenarias Indulgentias tribui, pronunciato duntaxat no-

mine Jesu & Mariæ, absque alio opere injuncto.
Resp. Ad *Imum*. Causa per se levis potest ex adjunctis, & relatè ad magnum finem, cui obtinendo apta sit, fieri magna, ut illa admissentia pro foribus Basilicæ S. Petri, quæ equidem secundum se spectata est levis, magna tamen illa populi frequentia his Indulgentiis invitata magnum quid est, & aptum ac utile ad testificationem Fidei de Capite Ecclesiæ, & ad honorem Sedis Apostolicæ, quæ finis est illius Indulgentiæ. Ad *2dum*. Quæ pœnitentiæ opera injungat moriturienti pia Mater Ecclesia? sed & tunc habetur ratio meritorum præcedentium.

Obj. III. Videmus non rarò pro eadem causa nunc majores Indulgentias concedi, quod fieri non posset, si causa proportionata requireretur.

Resp. Ubi Indulgentiæ inæquales dantur, causa non est *moraliter* eadem, sed ex adjunctis diversa, nam idem opus potest nunc magis, nunc minus esse proportionatum fini Indulgentiæ, & utile ac necessarium. Sic urgente magna necessitate eadem elemosyna magis utilis & necessaria est ad subsidium pauperum; & instante gravi periculo eadem elemosyna cum jejuniis conjuncta plus momenti haberet. Proinde idem *physicè* opus potest esse diversum moraliter pro diversitate personarum, locorum & temporum, causarum, rerum, &c.

Obj. IV. Si Indulgentiæ sine causa satis magna concessæ non essent rata coram Deo, populus Christianus à Pastoribus suis non infrequenter deciperetur. *Resp.* SUAREZ, *Disp.* 54. *Sect.* 3. & LUGO *Disp.* 27. *Sect.* 8. censent validam esse Indulgentiam, quodsi ejus causa, etsi de se sufficiens non sit,
 tamen

tamen à Pontifice prudenter existimetur, quòd sufficiens sit, quia Oeconomus, ut validè & licitè bona Domini dispenfet, satis est, quod juxta regulas prudentiæ operetur, & ideo valide Pontifex dispensat in votis, Confessarius absolvit à peccatis, si putet dari ad id rationabilem causam, etiamsi aliquando non subsistat. BELLARMINUS autem respondet, ut plurimum non esse deceptionis periculum, quia non arbitramur Indulgentias à Sede Apostolica sine justa causa dari. Sicut tamen fieri potest, ut aliquando Indulgentia non fortitur effectum ex defectu suscipientis; ita videri absurdum non debet, si quando idem accidat ob defectum causæ. Nec ignorat populus Christianus pertinere ad Fidem, quòd sit in Ecclesia potestas concedendi Indulgentias, non autem in particulari fieri non posse, ut Indulgentia vel non sit rata, vel non profit. Et ideo prudentes Christiani Pontificias Indulgentias ita accipiunt, ut simul etiam dignos pœnitentiæ fructus facere studeant, ac pro suis peccatis Domino facere satis.

Obj. V. Commune pronunciatum est, Indulgentias tantum valere, quantum sonant. *Resp.* Verissimum est hoc dictum, sed intelligendum de Indulgentia, cui necessariæ conditiones non desunt, videlicet autoritas in concedente, justitia & charitas in suscipiente, pietatis sufficientia in causa. Equidem vera Indulgentiarum causa est thesaurus meritorum Christi, & Sanctorum, sed præter istam requiritur alia, quæ moveat ad dispensandum hunc thesaurum hoc tempore potius, quàm alio; nunc majore nunc minore liberalitate. Nec enim fas est, Pontifices relaxare pœnitentialem satisfactionem, & recurrere ad thesaurum, nisi dum judicant id necessarium

Uu §

esse,

esse, vel utile ad Dei gloriam, & salutem animarum.

α) Ad justam & proportionatam causam duo ex BEL-
LARMINO requiruntur: 10. Finis aliquis pius, ac Deo
gratus, cujus adsecutio magis Deo placeat, quam pœni-
tentialis satisfactio, quæ per Indulgentiam relaxatur.
Nam is fidelis & prudens dispensator cœlestis thesauri est,
qui fideliter causam Domini sui agit, & juxta illius bene-
placitum operatur. Hujusmodi autem fines esse solent pro-
motio divini cultûs, Fidei propagatio, peccatorum aut hæ-
reticorum conversio, hostium Ecclesiæ subactio, aut alte-
rius Ecclesiæ necessitatibus sublevatio, major Sedis Apostoli-
cæ reverentia, unio Principum Christianorum, pax Ec-
clesiæ, templorum ac piorum locorum constructio, sub-
ventio pauperum, captivorum apud Infideles redemptio,
& his similia. 20. Requiritur opus aliquod, per quod re-
ipsa finis ille probabiliter obtineri possit. Quodsi enim finis
Deo equidem magnopere placeat, sed per opus injunctum
nullo obtineri modo possit, velut si detur Indulgentia ple-
naria ii, qui semel recitant Orationem Dominicam pro
conversione Hæreticorum, causa non videbitur justa &
proportionata, quoniam etsi Hæreticorum conversio res
sit maxima, Deoque gratior, quam pœnitentialis Fidelium
multorum satisfactio, probabile tamen non est, conver-
tendos Hæreticos per eam solam brevissimamque orationem.
Nec tamen etiam requiritur ad proportionem causæ cum
Indulgentia, ut opus injunctum sit in se valde satisfacto-
rium, vel difficile & laboriosum; sed ut sit aptum & uti-
le medium ad obtinendum finem, cujus gratia Indulgentiæ
conceduntur. Unde fieri potest, ut per opus in se satis le-
ve magna adquiri Indulgentia possit, eoquod facile illud
opus sit medium ad finem Deo gratissimum consequendum.
Cujusmodi est assistentia illa præ foribus Ecclesiæ, de qua
supra. Immo aliquando solus finis, absque opere injun-
cto sufficere videtur ad Indulgentiam justam efficiendam. Sic
olim quandoque ad petitionem Martyrum dabantur Indul-
gentiæ sine aliquo injuncto opere, quia judicabat Ecclesiæ,
causam satis magnam esse Martyrum petitionem, ut vi-
delicet homines ad Martyrium accenderentur, cum Mar-
tyrum

tyrum preces tanti fieri conspicerent. Denique non eodem modo judicandum est de causa Indulgentiæ, cum uni alicui conceditur, & cum datur in communi omnibus: in priore enim casu oportet, ut opus uni soli inunctum sit proportionatum fini, propter quem datur Indulgentia. In posteriore autem necesse non est, ut opus singulorum, sed tantum ut opus omnium simul proportionatum sit fini. Hinc fieri potest, ut Indulgentia maxima sit justissima, etiamsi opus inunctum singulis leve videatur.

Q U A E S T I O V.

Quæ requirantur ex parte suscipientis ad lucrandas Indulgentias?

Certum est, solum baptizatum Indulgentiæ ca- 208.
pacem esse, tum quia actus Jurisdictionis, Per-
qui exercetur concedendo Indulgentias vivis per mo- fo.
dum absolutionis, non nisi in subditum exerceri na ca.
potest; tum quia thesaurus Ecclesiæ non nisi in ejus paces.
membra distribui debet. Nec minus certum vide-
tur, innodatum excommunicatione majori Indul-
gentiarum incapax esse, nam talis per excom-
municationem privatur communibus Ecclesiæ suf-
fragiis, & bonis inter membra Ecclesiæ unita divi-
dendis. Nec prodest illi ad hunc effectum, quod
aliquando contritus sit, nam sicut privatur Sacra-
mentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ ante absolutionem
à censuris, quamvis sit contritus, sic privari etiam
debet Indulgentiis. Similiter Catechumeno etiam
in gratia existenti non conceditur Indulgentia, ne-
quidem per modum solutionis & suffragii, quia
numquam Ecclesia hac potestate usa est. Potest
equidem quivis alius satisfactiones suas pro Cate-
chumeno offerre, quin tamen Pontifex pro illo of-
ferre possit satisfactiones Christi & Sanctorum: nam
qui-